





Prot. N. 15/20/1



## DECRETUM

**PAENITENTIARIA APOSTOLICA**, de mandato Ss.mi Patris in Christo Francisci, Div. Prov. Papa, attentis precibus die XV Decembris MMXIX allatis a Natale Cremoni, Priore Unionis Confraternitatis Dioeceseos Luganensis et a Guidone Baumann, Priore Confraternitatis Sancti Caroli Borromaei, enixe favente Exc.mo P. D.no Valerio Lazzeri, Luganensi Episcopo, plenariam libenter concedit Indulgentiam suetis sub condicionebus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsionis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, dummodo die XV Februarii MMXX, pie interfuerint Sollemni Missae, qua claudetur Congressus Europaearum Confraternitatum Lugani in Helvetia, et pro fidelitate ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, humiles Deo effuderint preces, concludendas Oratione Dominica, Symbolo Fidei ac mariana antiphona "Sub Tuum Praesidium".

Confraternitatum sodales legitime impediti, plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, coram aliqua parva imagine sacra, sollemni celebrationi se spiritualiter adiunixerint, precibus ut supra ac doloribus suis, vel incommodis propriae vitae, misericordi Deo per Mariam fiducialiter oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendoas praediti, generoso animo celebrationi Paenitentiae se praebant.

Praesenti pro hac vice valituro. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die II mensis Februarii, anno Reparatae Salutis MMXX.

Maurus Card. Piacenza  
MAURUS Card. PIACENZA  
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
Regens